

ab uno jure, sed huic juri præscribi potest spatio 30 ann. ex regula generali l. 3. et fin. C. de Præscr. 30., ut etiam admittunt adversarii; ergo. Huc facit c. 4, et 6. h. t. de decimis præscriptis, quæ etiam annuæ sunt.—Nec obstat l. 7. §. fin. C. de Præst. 30.; nam fateor, tempora præscriptionum non computari ab exordio obligationis; benè verò ab exordio cessationis, dum debitor bona fide cessans solvere, constituit se in quasi possessione immunitatis à solvendis annuis præstationibus. Vide meas disp. civ. disp. 8. contr. 3.

### §. III.

De justo titulo, et bona fide ad præscribendum requisitis.

246. Nota I. Nomine *justi tituli* hic intelligi, causam ex se habilem ad transferendum dominium seu aliud quodcumque jus. Tales tituli enumerantur in Digestis et Codice: *pro emptore, hærede, donato, derelicto, legato, dote et pro suo*; quibus adde titulos *pro soluto, judicato, transacto, permutato, pro socio*. Præterea tituli usucapionum sunt: collatio beneficii, institutio, confirmatio, electi, constitutio judicis, servitutis, ususfructus etc. Tunc autem tituli isti procedunt, dum v. g. emi aliquid à venditore, prudenter putans eum dominum esse rei venditæ, tùm tamen reverà dominus non fuerit, vel si donatum accepi à non domino, vel tanquam legatum, quod legatum non fuit etc.—Ex his, titulus *pro soluto* tunc est specialis, dum quis bona fide ab altero accipit rem indebitam, putans sibi esse debitam. Et titulus *pro suo* tunc est specialis, dum ad transferendum dominium adest causa habilis, quæ tamen specialitèr non numeratur in jure inter titulos usucapionum: uti est venatio, seu occupatio, alluvio etc.: ut si capias feram cicurem et domesticam, quam putas esse sylvestrem et communem etc. Alias tituli *pro soluto et suo* sunt generales, ceterisque inhibiti, nec per se sufficiunt ad usucapionem, nisi determinentur ad aliquam causam seu titulum particularem de se sufficientem ad translationem dominii; aut juris. Econtra tituli ad præscribendum inhabiles sunt: commodati, depositi, pignoris, locati, conducti, ususfructus, enphyteusis, feudi per ordinem ad præscribendam proprietatem.

Nota II. Titulum rectè dividi quadrifariam: in *Verum*, qui nullo defectu laborat: ut si verus dominus rem alteri idoneo vendat aut donet. *Coloratum* seu apparentem, qui de facto quidem ponitur, sed reipsà non est propter occultum vitium: ut si emas equum à non domino, qui tamen creditur esse dominus; vel accipias beneficium ab eo, qui habetur pro Episcopo, reipsà tamen non est Episcopus propter latens vitium. *Existimatum* seu putativum, qui cogitatur intervenisse, cùm tamen nec de facto intervenierit: ut si accipias equum ex empto, cùm tamen nulla

emptio equi intervenierit. *Præsumptum*, qui ob diuturnitatem temporis præsumitur intervenisse, sive reipsà intervenierit, sive non. Multi tamen DD. his vocibus promiscuè utuntur; adeoque ex subjecta materia sensus et significatio colligi debet.

Nota III. Nomine bonæ fidei hic non intelligi fidem Religionis catholice, sed conscientiam in præscribendo. Unde *bona fides* est: Judicium prudens, quo quis judicat, se justè rem possidere absque læsione juris alieni; seu est, sincera ignorantia rei alienæ alteri debitæ. *Mala fides* est: Judicium prudens, quo quis judicat, se injustè rem possidere cum læsione juris alieni. Ex quibus patet ad bonam fidem non requiri, ut quis sibi persuadeat rem, quam possidet esse determinatè suam et non alienam. Nam qui auctoritate judicis possidet, bona utique fide possidet, licèt sciat proprietatem esse debitoris contumacis, etc. Rursùm, vel fides est *bona theologicè* tantùm, quæ peccatum excludit justa illud Rom. 14.: *quod non est ex fide, peccatum est*; vel simul est *bona civiliter* seu juridicè, quam jus approbat, ita ut possessio ex juris dispositione non sit vitiosa et contra leges.

Nota IV. Dubium in hac materia esse duplex: *positivum*, dum pro utraque parte contradictionis adest ratio probabilis; et *negativum*, dum judicium suspenditur, quia pro neutra parte adest ratio, quod res sit mea, vel aliena.—Et quidem, si in thesi seu in genere dubitatur, est *dubium speculativum*; si verò in hypothesi seu attentis omnibus circumstantiis, dubitatur, an ego hic et nunc licèt rem retinere, vel actum omittere possim, est *dubium practicum*.

247. Q. I. An, et qualis titulus requiratur ad præscribendum?

R. 1.º Affirmativè, ex c. 7. h. t. et l. 14. C. de R. V.; ubi Jctus ait: *nullo justo titulo præcedente possidentes ratio juris quærere dominium prohibet*. Nam titulus est radix bonæ fidei et justæ possessionis, cùm sine causa habili nemo credere possit, se habere jus possidendi.

2.º Titulus *verus* non requiritur, cùm iste per se transferat dominium et alia jura, ut non sit opus præscriptione. Sufficit autem titulus *coloratus*, ut patet ex tit. ff. *pro emptore, donato* etc. Nara mediante tali titulo, sufficienter justificatur possessio, et conditio usucaptendi acquiritur.—Titulus *existimatus* qui nec de facto intervenit, tunc sufficit ad præscribendum, dum intervenit error facti alieni: ut si putes rationabiliter rem, quam possides servo tuo donatione, legato, vel stipulatione acquisitam esse, quæ tamen his modis acquisita non est. Nam error facti alieni est probabilis, et in jure toleratur (l. 2. ff. de J. et F. Ignor.) Emptio tamen id speciale habet, ut licèt quis rem alteri tradat tanquam venditam, hic tamen eam usucapere non possit, si reipsà illam non emit (l. pen. ff. h. t. l. 2. ff. *pro emptor.*), quia facilè scire potuit et debuit, an illam emerit, et pretium persolverit. At si error causæ seu tituli teneat se ex parte possidentis, seu in facto proprio, regularitèr impedit usucapionem (§. 11. In. h. t. l. 6. ff. *pro derelicto, l. 11. ff. pro emptor.*) Nam error circa factum proprium est intolerabilis, cùm quisque facilè scire possit, an contraxerit, an quid ei donatum sit etc. Unde si putes tibi donatum esse, ubi donatio non præcessit, non

usucapies.—Titulus *præsumptus* non sufficit ad præscriptionem ordinariam, sed allegari et probari debet (*l. 27. ff. h. t. l. 24. C. de R. V. Can. placuit. v. præscriptionem 16. q. 3.*) Sufficit autem ad præscriptionem extraordinariam longissimi temporis, ut non sit opus eum allegare et probare (*l. 3. 4. C. de præscr. 30.*); quia ex tam longo tempore, maxime si sit tempus immemoriale, jus præsumit titulum intervenisse. Excipe, nisi jus præscribenti resistat, quia tunc titulus non præsumitur, nisi ex tempore immemoriali (*c. 1. h. t. in 6.*), de quo supra n. 244.

248. Q. II. *An ad præscribendas servitutes requiratur titulus positivus?*

R. Probabiliter affirmativè. Nam per *l. fin. in fin. C. de præscr. long. temp.*, res corporales et incorporales exæquantur quoad usucapionem; ergò in utrisque requiritur titulus positivus habilis ad præscribendum; aliàs non erit bonum initium usucapionis, utpote sine causa. Fateor tamen, satis probabile esse, ut asserit opposita sententia, quod scientia et patientia domini scientis in fundo suo fieri actus præscriptivos servitutis, ut itineris etc., et his non contradicentibus, suppleat vicem tituli per *l. 5. §. 3. ff. de itinere, actuque priv.* Vide disputationes meas *civ. disp. 7. contr. 5.*

249. Q. III. *An hæredi suo sufficiat titulus pro hærede ad præscribendas res alienas in hæreditate paterna repertas?*

R. Affirmativè: ità Rath. Chling. Gonz. c. 17. h. t. n. 9. Schmalz. et alii, *ex l. 3. ff. pro hæred.*, ubi generaliter dicitur: *plerique putaverunt, si hæres sim, et putem rem aliquam ex hæreditate esse, quo non sit, posse me usucapere.* Idem clarè colligitur *ex l. 4. §. 1. ff. pro suo.* Ratio est, quia hæredes extranei præscribere possunt cum titulo *pro hærede*, cum de novo acquirant bona hæreditaria; ergò et hæredes sui, cum et isti de novo acquirant saltèm dominium plenum, liberum et expeditum, quoad administrationem; quæ ratio est sufficiens, ut *pro hærede* usucapiantur res alienæ, quæ putantur hæreditariæ.—Nec obstat *l. 2. §. fin. ff. pro hæred.*; nam id solum negat, quod hæres partem cohæredis possit usucapere; ibi: *pro parte cohæredum-usucapere non possit.* Nec obstat fictio juris, qua filiusfamilias habetur pro una persona cum patre: tum quia favori filii non debet præjudicare; tum quia fictioni isti prævalet veritas, dum hæres suus post mortem patris verè dominus et possessor constituitur.—Ex quo solvitur *l. 2. C. de usucap. pro hæred. l. 11. ff. de lib. et posth. §. 2. Inst. de hæred. qual.*

250. Q. IV. *An præscriptio longissimi aut immemorialis temporis corruat, detecto vitioso, seu inhabili titulo? ut si probetur possessionem cæpisse titulo pignoris, depositi, locati etc.*

R. Affirmativè, ex communi contra Vasquium. Et prob. *ex c. 31 de decimis*, ubi rejicitur præscriptio decimarum ex eo, quia invalido titulo per regem laicum attributæ erant hospitali. Ratio est: tum quia præsumptio tituli cedere debet manifestæ veritati (*c. 4. d. 8.*); tum quia sine titulo habili non potest haberi bona fides theologica, nec bonum initium possessionis; tum quia præscriptio longissimi temporis defenditur à jure

tantum quoad hoc, quod possessor non teneatur probare titulum (*l. 3. 4. C. de præscr. 30.*); ergò si petitor, vel alius detegat vitium tituli inhabilis, statim manifestum fit, quod præscriptio nec incæperit, et multò minus completa sit.

Dices: Præscriptio, saltèm immemorialis, parit præsumptionem juris et de jure; ergò contra illam non datur probatio tituli vitiosi.—R. N. A. Nam præsumptio ista nullo jure est prodita; imò si esset, cedere deberet manifestæ veritati.

251. Q. V. *An bona fides requiratur ad omnem præscriptionem, tam inchoatam, quam continuatam et completam?*

R. Affirmativè, *ex c. 5 et fin. h. t. et reg. 2 in 6.: possessor malæ fidei ullo tempore non præscribit.* Nam sine fide theologice bona detinetur res aliena cum peccato; sed legislator humanus non potest permittere detentionem et præscriptionem rei cum peccato; tum quia id contrariatur juri naturali; tum quia princeps, licet permittere possit aliqua mala minora ad evitanda mala majora, nunquam tamen potest mala et peccata præmiare, sicut in hoc casu princeps præmiaret malam fidem, attribuendo dominium via præscriptionis; ergò.—Unde jure Can. meritò correctum est jus civile, quo bona fides exigebatur tantum ad initium, non verò ad continuationem usucapionis (*§. 12. Inst. h. t.*); et possessio longissimi temporis 30 vel 40 annorum procedebat cum mala fide (*l. 8. C. de præscr. 30.*), ac proinde, cum versemur in materia peccati et conscientiæ, jus hoc Can. servandum est etiam in foro seculari.

Dices: 1.º *c. fin. §. fin. ut lite non cont.* admittitur possessio cum scientia rei alienæ.—2.º Libertas à servitute rustica præscribitur à domino sciente servitute deberi (*l. 13. C. de servitut.*); uti etiam obligationes debitorum in probabili sententia.—3.º *C. 15. §. potest. 16. q. 3.*

R. Ad 1.º Scientia ista non obest bonæ fidei, quia possessor scit, se justè possidere auctoritate judicis.—Ad 2.º Neque hic scientia obest; quia dominus scit se obligatum ad patiendum, si alter petat actum servitutis, sed simul scit, se non esse obligatum, ut moneat vicinum ad utendum servitute; adeoque si legitimo tempore non utatur, servitus per non usum extinguitur, non tam via præscriptionis, quam ex mera dispositione juris hoc modo circa servitutes rusticas statuentis. De obligationibus debitorum infra dicitur.—Ad 3.º Canon iste ex jure civili desumptus, cum jure civili correctus est.

252. Q. IV. *An bona fides juridica requiratur ad usucapionem?*

R. Affirmativè; unde ignorantia juris certi et clari impedit ordinariam præscriptionem rei in utroque foro: ità com. contra Joan. Medinam, qui docuit ignorantiam invincibilem non obesse præscriptioni pro foro interno. Prob. *ex l. 32. ff. h. t.: Nunquam in usucapionibus juris error possessoribus prodest.* Et *l. 4. ff. de J. et F. Ignor.: Juris ignorantia in usucapione negatur prodesse, facti verò ignorantiam prodesse constat.* Exemplum ponitur in *l. 2 §. 15. ff. pro emptor.: Si à pupillo emeris, et scias pupillum esse, putes tamen pupillo licere res suas sine tutoris auctoritate administrare, non capies usu, quia juris error nulli prodest.* Ratio est, quia cum præ-

criptio à jure concedatur, in tantum valet, in quantum à jure approbatur; sed in hoc casu non approbatur à jure; ergò. Unde sola fides theologicè bona, nisi approbata sit per leges, non sufficit ad beneficium præscriptionis, l. 24. ff. h. t.: *Ubi lex inhibet usucapionem, bona fides possidenti nihil prodest.* Dixi autem *ordinariam rei*: nam ignorantia invincibilis non nocet tricennariæ præscriptioni, cum jus civile bonam fidem ad eam non requirat; jus verò Canon. correxerit solam fidem malam theologicè, seu cum peccato. Similiter fructus, cum percipiuntur ex sola ignorantia facti, quatenus possessor credit se fructus percipere ex re sua, legitimo tempore præscribuntur, licet res ipsa non præscribatur. Excipe illas personas, in quibus toleratur ignorantia juris, ut in fæminis, militibus, rusticis et simplicibus; his enim ignorantia juris prodest in dispendiis, ne lædantur, non tamen in compendiis, ut lucrentur (l. 8. ff. de J. et F. Ignor.).—Ex his abundè solvitur c. 5 et fin. h. t. c. 4 de empt. et vend. l. 25. §. 6. ff. de hæred. petit. l. 7. C. de agricol. etc.

253. Q. VII. *An dubium obstet usucapioni?*

R. 1.º Dubium antecedens obstat initio et continuationi præscriptionis; nam de jure Can. ad præscriptionem requiritur bona fides.—2.º Dubium superveniens, si adhibita sufficienti diligentia, verus dominus reperiri nequeat, non obest continuationi justæ possessionis; nam hic locus est reg. 65 in 6.: *In dubio melior est conditio possidentis*; et c. 5 si virgo 34. q. 1. ibi: *Tamdiu quisque bonæ fidei possessor rectè dicitur, quamdiu se possidere ignorat alienum.*

254. Q. VIII. *An scienter præscribi possit debitis et aliis actionibus personalibus?*

Affirmant Schmier, et Pichler cum citt.; sed horum sententia adhuc hodie durissima mihi videtur, ut eam pro praxi suadere non præsumam. Hinc:

R. Negative: ita Barbos. Myns. Covat. Gail. Laym. Engl. Reiff. et alii graves TT. et Juristæ. Prob. 1.º Ad præscriptionem requiritur possessio (reg. 3. in 6.), et bona fides (cap. 5 et fin. h. t.); sed stante scientia juris alieni circa debitum, debitor bona fide non potest se constituere in quasi possessione suæ libertatis et immunitatis à solvendo; nam in obligationibus agendi vel non agendi, quasi possessio libertatis non acquiritur, nisi facto contrario bona fide exercito: ut si creditor debitum petat, et debitor ei contradicat, asserendo se nihil ei debere, seu immunem esse à solvendo, ut patet ex l. 6. ff. de S. P. U. ibi: *si vicinus simul libertatem capiat*; ergò stante scientia juris alieni, debitor non præscribit suam immunitatem à solvendo, et consequenter nec præscribit debito, seu actioni personali ad solvendum.—2.º Ideo depositarius non præscribit actioni personali depositi, quia licet scientia rei alienæ non sit conjuncta cum peccato, tamen ex defectu tituli et possessionis justæ, non est capax præscribendi rem depositam; atqui etiam in nostro casu licet scientia debitoris non sit conjuncta cum peccato in ordine ad hoc quod non solvat, creditore non petente, tamen deest ipsi justus titulus et bona fides, ad hoc ut se constituat in quasi possessione justæ suæ immunitatis; ergò

eam non est capax præscribendi, et cons. scienter non extinguit debitum et actionem personalem.

Dices: Servitutes rusticæ, licet dominus sciat eas deberi vicino, solo non usu extinguuntur (l. 6. ff. de Servit. Præd. Urban.); ergò etiam debita per hoc solum extinguuntur, quod creditor ea non exigat legitimo tempore, quia scilicet jus non vult debita et actiones personales diutius durare, quàm spatio 30 vel 40 annorum.—R. Retorquendo, ex eadem l. 6 in servitutibus urbanis, quæ solo non usu non extinguuntur, nisi dominus contrario facto usucapiat libertatem. Quod ergò servitutes rusticæ pereant solo non usu, id speciale est, et non præscriptioni, sed mære juris dispositioni tribuendum, non verò ad alias obligationes extendendum. Si adversarii ostenderint jus aliquod, quoad præscribendum obligationibus agendi vel non agendi, nulla requiritur quasi possessio immunitatis, vel hanc introduci posse justè, stante scientia juris alieni, probaverint, libens eorum sententiæ subscribam; sed nunc adhæreo communi sententiæ, quam fusiùs discussi in meis disput. civil. disp. 8 contr. 5.

255. Q. IX. *An, et quomodo fides auctoris prosit vel obsit successor?*

R. 1.º Bona fides auctoris prodest successor tam universali, quàm particulari seu singulari, qui titulo singulari emptionis, permutationis, legati etc. succedit (§. 12. Inst. et l. 14. ff. h. t.) Nam successor succedit in omni jure rei connexo; ergò etiam in conditione usucapiendi; ac proinde datur accessio temporum, ut tempora antecessoris accedant, et connumerentur temporibus successoris. Imò si auctor rem bona fide possedit sine titulo, adeoque indiguit longiori tempore ad præscribendum, successor ratione tituli universalis pro hærede, vel singularis pro emptore, donato etc. citiùs rem usucapere poterit.

2.º Mala fides auctoris non nocet successor singulari, modò iste bona fide inchoet possessionem, et indè incipiat numerare tempora præscriptionis (§. 12. Inst. h. t.) Nam successor singularis non est representativè eadem persona cum suo auctore, neque succedit in vitia personalia, uti est mala fides; ergò.—Excipe, nisi res sit affecta vitio reali furti aut violentiæ; hæc enim à successore bonæ fidei non præscribitur, nisi tempore longissimo, quo vitium reale purgatur (*Auth. ad hæc C. de præscr. long. temp.*)

3.º Mala fides testatoris nocet hæredi immediato, licet bona fides res alienas in hæreditate inveniat; ita ut præscriptione ordinaria eas usucapere non possit, benè verò extraordinaria, computando sua, et non tempora antecessoris, l. 11. C. de acq. poss. ubi Imp. rescribunt: *Vitia possessionum à majoribus contracta perdurant, et successorem auctoris sui culpa comitatur.* Et §. 12. Inst. h. t. Imp. ait: *si defunctus initium justum non habuit, hæredi et bonorum possessori, licet ignoranti, possessio non prodest.* Nam hæres est eadem persona cum defuncto fictione juris; ergò in illo perseverat mala fides ficta, quæ tamen non obstat præscriptioni extraordinariæ, pro qua sufficit sola fides theologicè bona. At mala fides defuncti non nocet hæredi mediato, seu hæredi hæredis; quia licet mala fides vera parere possit malam

fidem fictam in hærede immediato propter fictionem juris, tamen mala fides ficta non parit aliam fictam in hærede mediato: tum quia fictio ista nullo jure exprimitur; tum quia corpus quidem parit umbra, non tamen umbra aliam umbram; ergo à pari.

4.º Mala fides antecessorum civitatis, vel alterius corporis, probabilius nocet successoribus, ut hi res et jura à se cum bona fide possessa præscribere nequeant. Ita Haun., Fach., Rath., Pirh., et alii contra Innoc. et P. Wiestner cum citt., quorum sententia non videtur improbabilis. Ratio est ex *reg. generali* 3 in 6; quia idem possessor malæ fidei ullo tempore non præscribit; sed in hoc casu semper manet idem possessor, scilicet eadem civitas, seu universitas, licet materialiter alii et alii cives succedant; sicut succedentibus diversis aquis, manet idem numero fluvius; ergo. Unde si Episcopus sine debitis solemnitatibus, adeoque invalidè, vendidit aliquod prædium civitati, prædium hoc etiam post 400 annos repeti posset, cum propter malam fidem initio interpositam non sit præscriptum à civitate.—His non obstat *l. 48. §. 1. ff. de Acquir. Rer. Domin. reg. 14 in 6.*, et arg. à successoribus universalibus et singularibus; nam hæc et similia tunc procedunt, dum personæ antecessoris et successoris sunt diversæ, communitas autem semper manet eadem persona, ac proinde ut præscribat, juxta doctrinam Baldi (*l. 3. ff. de jurisd.*), requiritur, ut saltèm major pars initio possessionis bonam fidem habeat.

256. Q. X. *An, et quomodo mala fides Prælati noceat Ecclesiæ?*

R. 1.º Si Prælati probare potest rem alienam esse, tenetur admonere capitulum, ut res domino restituatur, cum hoc justitia administrationis exigat; et à fortiori, si notoriè constat, rem alienam esse.—2.º Si Prælati probare nequit rem esse alienam, frustra admoneret capitulum, quia ei soli asserenti non crederetur (*arg. Can. 2. si tantum 6. q. 2.*) Sed tali casu, si res possideatur à solo capitulo in bona fide constituto, præscriptio procedit; at si possideatur communiter à Prælati et capitulo, non est locus præscriptioni, quia mala fides Prælati inficit totum corpus capituli. Reiff. Schmalz. etc.

257. Q. XI. *An possessor probare debeat bonam fidem?*

R. Negative: nam bona fides seu ignorantia rei alienæ præsumitur, ubi scientia non probatur (*reg. 47. in 6. l. 21. ff. de prob.*) Mala autem fides ex variis conjecturis probatur: ut ex defectu tituli in recenti possessione; si contractus factus est contra jura, ut cum prodigo, minore vel cum eo de quo contrahens audivit, quod non sit dominus rei; vel si contractus clanculum, et cum insolitis cautelis celebratus est; aut si per famam, instrumenta possessoris et libros constet rem esse alienam etc. Vide Mascard. Menoch. etc.

## §. IV.

### De usurpationibus, seu contrariis præscriptioni.

258. Q. I. *Quando præscriptio dicatur non procedere, seu non currere?*

R. Dum ob defectum alicujus requisiti præscriptio incipere non potest. ut si desit bona fides, titulus; vel ex legis dispositione res alienari nequeat, sicut fundi dotales, majoratus etc.

259. Q. II. *Quando præscriptio dicatur dormire?*

R. Dum semel legitimè inchoata ob superveniens impedimentum interim quiescit et suspenditur; sublato verò impedimento, denuò procedit, computatis anterioribus et posterioribus temporibus, excepto medio tempore impedimenti, utpote inutili (*c. 10. et 14. h. t.*) Talia impedimenta sunt: tempus belli et hostilitatis, uti et pestis grassantis, dum jus non dicitur; tempus vacationis, dum Ecclesia caret proprio Prælati, tanquam defensore, vel is ob excommunicationem inhabilis est ad agendum etc. (*c. 4. 10. h. t. Can. 13. prima, 6. q.*); item tempus pupillaris ætatis. Et generaliter præscriptio dormit contra non valentem agere: ut contra filiumfamilias quoad bona adventitia, contra uxorem quoad fundos dotales, constante matrimonio, cum non valenti agere tempus non currat (*l. 1. C. de annali except. auth. nisi C. de bon. mater.*)—Nec obstat, quod præscriptio currat contra minorem et Ecclesiam, licet eorum bona per administratores curentur. Nam pater bona adventitia filiofamilias, et maritus bona dotalia proprio jure retinent et administrant, neque acta eorum imputantur filiofamilias, vel uxori: econtrà, curatores et Prælati sunt administratores legitimi, quorum acta imputantur principali, putà minori, Ecclesiæ etc.

260. Q. III. *Quando dicatur præscriptio interrumpi?*

R. Dum ita cessat, ut tempora anteriora non continuentur cum posterioribus. Fit autem interruptio ista dupliciter: *Naturaliter*, dum deprehenditur aliquis substantialis defectus in præscriptione, ut titulus inhabilis, mala fides etc. Tunc præscriptio interrumpitur absolutè quoad omnes; unde qui aliquo tempore amisit possessionem, ea recuperata denuò incipere debet præscriptionem. *Civiliter*, dum jus possidendi actu aliquo juridico revocatur in dubium; et tunc præscriptio interrumpitur tantum comparative ad hunc actorem.—Et quidem, *præscriptio odiosa* 30 annorum interrumpitur sola citatione (*l. 7. pr. C. de præscr. 30.*), quia tunc cessat negligentia domini; mixta 10 vel 20 annorum litis contestatione (*l. 26. C. de R. V.*); et favorabilis seu triennis interrumpitur sola sententia judiciali (*l. 18. ff. de R. V. l. 2. §. fin. pro emptore.*) Unde si quis ante sententiam usucapionem complevit, facit rem suam non absolutè et irrevocabili-ter, sed conditionatè, si res actori adjudicata non fuerit.—Sola oblatio li-